

ACTA BOLLANDIANA
DE SANCTO BERNARDO
CONFESSORE
PRIMO CLARÆ-VALLENSI ABBATE, PATRE AC DOCTORE ECCLESIAE
IN TERRITORIO LINGONENSI IN GALLIA
COMMENTARIUS

Auctore Joanne PINO societatis Jesu presbytero theologo.

(Acta sanctorum Bolland., Augusti tom. IV, die 20, p. 101.)

§ I. Annus ac locus natalis; illustre genus.

1. Magnos inter viros, qui, tanquam lucidissima Ecclesiae Dei sidera, doctrina, virtutibus ac miraculis orbem terrarum illustrarunt, nomen meretur et obtinet. S. Bernardus plane singulare, ita videlicet quaquaversus propagatum ac celebratum, ut vix quisquam sanctorum esse videatur, qui tot rerum suarum praecones, tamque egregios ac tam probatae fidei spectataeque auctoritatis scriptores nactus sit. Perspicuum id fiet tum e tribus potissimum clarissimis biographis, qui praestantissima ejus facta continuato sermone, et quasi ex conducto, ad posteros transmisere, inferius a nobis laudandi; tum ex aliorum documentis, de quibus postea erit sermo. Quae autem nos per hujus commentarii decursum praeter ea, quae ad alios dicta sunt prius, dicemus, subservient Vitae ac miraculis doctoris melliflui vel confirmandis, vel elucidandis, amplificandisve, incipiendo a natalibus ejus, circa quos varia se nobis offerunt expendenda.

2. Ac de anno imprimis natali ipsius ita convenit inter auctores, ut extra omnem controversiam positus sit. Illustrissimus enim Angelus Manrique, Pacensis episcopus, Annalium Cisterciensium tomo I, ad annum Christi 1105, Cistercii octavum, cap. 1, num 3: « De tempore, ait, omnino certum est, natum anno millesimo nonagesimo primo, eo nimirum quo beatus Petrus Cavensis, Cluniacensis coenobii olim alumnus, oblatum sibi ab Urbano II, in concilio Beneventano usum mitrae, reverenter quidem, sed magnifice contempsit; quod in actis Vitae ipsius (apud Baronium hoc anno), scriptum videas. Quo videlicet Bernardo offerendarum, contemendarumque jam tunc in illo praesagia ostenderentur. Natum hoc anno facile convinces, si a millesimo centesimo decimo tertio, quo Cistercium ingressus est, duos et viginti demas, quos tunc habebat: in quo

omnes historici conveniunt. » Adde scriptores recentiores qui sancti natales anno jam dicto 1091 affigunt. Haec de tempore; de loco autem, in quo vivere cepit noster sanctus, ita scribit, memoratus annalium conditor Manricus num. 2:

3. « Fontanis (alibi locus hic vocatur *Fontes*, vulgo *Fontaines*) oppido, a fontibus sic dicto, patris sui domicilio dominioque Bernardum natum testantur omnes, qui ejus Vitam scribunt, dimidio fere lapide a Divione, nobili et notissima curia Burgundiae Ducum. Talentum inter (vulgo *Talen*) arcem munitissimam, et Fontanum castellum ea sita: » Quod e Guillelmo Paradino, lib. de antiquo statu Burgundiae fol. sibi 140 Manricus ibidem describit: in nostra autem editione Basileensi a pag. 163, leguntur ista: « Planities est amoenissima, duobus fluminibus Suzione atque Oscara utrinque muros alluentibus... Urbi imminet Talentum, arx et natura loci, et arte munitissima... E regione hujus situm est castellum, cui a fontibus nomen, quod Bernardus, abbas sanctissimus, suis illustravit clarissimis crepundiis; olim Castellionensium equitum dominis [leg. domus], hodie Christo aedes sacra. » Mabilionius Operum S. Bernardi editor, ad calcem voluminis secundi varias ejusdem Sancti Vitas attexit, a columna 1601, aliaque de eo subnectit postmodum documenta. Dicta autem columna postquam in notula de Tescelino, Sancti patre, haec citasset e Vita tertia, quod nempe ibi vocetur « dominus minoris castris, cui Fontanae nomen est, » etc., observat ibidem paternas (ut creditur) « Bernardi aedes conversas esse in Fuliensium Patrum conventum. » Factum hoc magis expresse affirmat, quam confirmat R. P. Chrysostomus Henriquez in menologio Cisterciensi hac die, sic de sancto scribens: « Feliciter in lucem prodiit Fontanis in domo paterna, quae ob tanti viri reverentiam, utpote in qua primordia

vita et sanctitatis suae habuit, in coenobium pro Cisterciensibus reformatis congregationis Fuliensis mutata est: in cujus sacrae aedis lapidibus initialibus sanctissimi Patris Bernardi encomia, et praecleara elogia pulchris characteribus exarata fuerunt: quae, ne sub terra lateant, hic describenda censui. » Sed nos ea huc transcribere supersedemus, cum ibidem legi possint. Res gesta innectitur anno 1619, quo « Ludovici XIII Francorum et Navarrae regis Christianissimi mandato et nomine, serenissimaeque ejus conjugis Annae Austriae » primus lapis positus fuisse indicatur in ejusdem inscriptione, die 6 Januarii.

4. Verum, quod rursus ad castrum seu oppidum, S. Bernardi natalitium, Fontanas spectat, cavendum monet Manricus num. 2, citato, ne ultra meritum nobilitetur, et locis aliis eidem annexis locupletetur. « Recentiores, inquit, dum oppidum patris legunt, comitatum confingunt, et plures atios pagos illi adjungunt, quos e Fontanis Tescelinus jura daret, » — citatur ab ipso Brito, qui chronicon Cisterciense idiomate Lusitano vulgavit, lib. 1, cap. 14, « sed nullo prorsus producto testimonio; imo ipsa reclamante antiquitate, qua potius *militem suis stipendiis contentum lego*, lib. 1, cap. 1, in Vita S. Bernardi, quibus ad omne opus bonum abundabat. Nec detraxisset Tescelino Bernardi patri, si quos haberet titulos ampliores, qui paulo inferius in avunculo Galdrico minores etiam ample numeravit. « Vir (inquit) sanctus, et potens in saeculo, et in saecularis militiae gloria nominatus, dominus castris in territorio Eduensi, quod Ticillum [al. Tuillum, vulgo Tovillon] dicitur. » Non ergo comitatus, alteriusve ditionis pingues redditus, cui praecipui proventus, si non unici, militaria stipendia designantur. Sat magnum est, si curiae suburbanum, alterius, quam ipsius ducis, juris foret. » Ita ratiocinatur Manricus, et recte, mea quidem sententia.

Illis autem, quae addebat, « cui praecipui proventus, si non unici, militaria stipendia designantur, » non satis consentiunt Fragmenta apud mabilionium, columna 1275, ex tertia Vita S. Bernardi, auctore, ut videtur, Gaufrido, monacho Claravallensi (Fragmenta Gaufridi nos deinceps ea vocabimus) ubi dicuntur ista: « Erat autem vir iste genere nobilis, possessionibus dives. » Ex ante dictis convincitur erroris Vita S. Bernardi, quae exstat in codice nostro signato P. Ms. 13, dum haec scribit: « Bernardus... Castellione Burgundiae oppido oriundus fuit. » Tametsi autem de nobili stirpe Sancti nostri ita certo constat, ut prudens adversus eam controversia moveri nequiquam possit, non abs re tamen egerimus, si hoc argumentum confirmemus ac illustremus.

6. « Parentes habuit, ut scribit Manricus, num. 4, dictum Tescelinum, Alaidemque, e quibus illum ducibus Burgundiae propinquum genere, adeoque regum Galliae progeniem claram; hanc ex Corne-

liensium Comitum familia, alta origine regum Lusitaniae, atque Henrico Lusitano primo Comite, Alfonsi regis patre, in tertio consanguinitatis gradu conjunctam, nostrates referunt quo Bernardo cunctos Christianos principes arcto sanguinis foedere devinciant. Ego in Guillelmo, sancti Theodorici; lib. 1, cap. 1, atque Alano Altissiodorensi, quondam illo abbate, isto episcopo, atque utroque Bernardo coetaneo solum invenio: « Parentes claros secundum saeculi dignitatem (et Tescelinum, qui) sic consilio et armis serviebat temporalibus dominis suis, ut etiam domino Deo suo non negligeret redere quod debebat. » Quibus addi possunt sequentia e Vita quarta, a Joanne eremita scripta, apud Mabilionium, col. 1281: « Beatissimus igitur Bernardus... digna propagine oriundus fuit, carnis quidem prosapia nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tescelinus nomine; genitrix vero Aalays, filia Bernardi Montisbarri domini, viri potentis et magni secundum saeculi dignitatem, et ex antiquorum (sicut asserunt multi) Burgundiae ducum generositate trahens originem. » At redeamus ad Manricum.

7. « Sed et in Guillelmo, ait, Paradino, auctore Burgundo, et de Burgundiae ducibus tractante, Castellionensem Safrensemque familias, quos uterque insignis, inter illustres illius quondam regni (nam reges olim fuerunt, qui post duces) numeratas agnosco; regiam progeniem aut originem non lego. Illius verba fol. mihi, inquit, 93, placet hic describere: « Sunt et aliae familiae pleraque illustres, quales Corneorum, ex qua Godefredus, flammulae signifer. » Et post non paucas alias numeratas, haec de utraque familia doctoris sancti: « Deinde Castellionensium, ex qua divus ille Bernardus Claravallis abbas sanctissimus, nec minus ingenii monumentis clarissimus... Habetis ergo Castellionenses atque Safrenses, quo jure gloriaris possitis, qui tam rutilum religionis solem e vestro corpore edidistis reipublicae Christianae: de quo dici solet, quod olim de Nestore cecinit Homerus, melle dulciorem ab ejus ore orationem fluere. » Hactenus Paradinus, qui Safrensis, ut credo, Alaidam matrem; Castellionensibus Tescelinum ortos tradit, illustribus quidam familiis Burgundionum, sed regum splendorem non aequantibus. Quamvis non abnuam Castellionenses comites, ex quorum familia Tescelinus, sanguine forte conjunctos Burgundiae ducibus, et per eos Bernardum, licet remote. Honor regis judicium diligit, honor Sanctorum certam veritatem. Nec ea nobilitas Bernardi patris est, quae egeat addititia commendari. Nos haec ex auctore fide digno illius provinciae, atque antiquorum dictis concordante, tanquam certa scribimus, scripturi majora, si dignis fide testibus fulciantur. » Haec illustrissimus Manricus candide ac sincere.

8. Unde sequitur, ut plus aliquid in Breviario Romano dici poterit, ne dicam, debuerit, de S. Bernardi natalibus, quam *honesto loco natus*. P. Pe-

trus Franciscus Chiffletius noster anno 1660 edidit Divione Diatribam de illustri genere S. Bernardi abbatibus Claræ-Valleusis, cui appendicem cum probationibus variisque documentis subiecit. In ejusdem diatribæ præfatione de mox dicta Breviarii expressione merito conqueritur, quæ utique sit nimis humilis, et infra Sancti dignitatem. « Etenim, inquit, qui hæc legens, de Bernardi natalibus aliud nihil norit, facile illum opinetur plebeis ortum parentibus puta agricolis aut opificibus, aliisque ejusdem notæ: cum tamen illum utroque parente fuisse constet perquam nobilem.... Adde » præter alia, quæ ibi observat, « et hæc Bernardi natalium depressione nonnullam viro sanctissimo, et de Ecclesia quam optime merito injuriam fieri, dum ejus virtuti suus quidam splendor ac sua veluti basis detrahitur, si vere prudens quisque existimat, virtutem nobilitati impositam insitamque, et altius eminere, et fulgere illustrius. » Hujus autem sui operis seriem ita dividit: « Primum illud sibi demonstrandum suscipit, nobilem fuisse Bernardum; deinde equestris ordinis quem illis temporibus Militiam vulgo nuncupabant; ad hæc, antiquæ in eo gradu originis: denique et per matrem Alaydem (quæ Bernardi Montisbarri dynastæ filia erat) ex antiquis Burgundiæ Ducibus prognatum. »

9. Rem in pauca contraxit Mabillonius ante vitam primam S. Bernardi auctore Guillelmo abbate conscriptam, et a se editam a col. 1061, de linea paterna sic loquens pag. 1059: « *Tecelinus*, Bernardi pater, *vir antiquæ et legitimæ militiæ*, id est probatæ nobilitatis, quam equestris vocamus, fuisse perhibetur a Guillelmo abbate cap. 1. Huic agnomen erat Sorus, id est subrufus, a colore scilicet capillitii, in diplomate Hugonis secundi Burgundiæ ducis pro Cabilonensi S. Marcell monasterio; cui diplomati primo loco post Raimerium ducis dapiferum subscribit Tecelinus ante Bernardum de Monte forti, Warnerium de Sumborno, aliosque nobilissimos viros. (Vide Chiffletium in probationibus ad memoratam diatribam pag. 426.) Guido de acromonte, testante Alberico Trium Fontium monacho, *fuit ex parte matris frater Thesselini Sorii de Fontanis, qui fuit pater Bernardi Clarævalleusis abbatibus; fuitque ex alia parte frater Ulrici, sub quo fundata est abbatia Morimundi.* (Adi Chiffletium in diatriba sectione 9, pag. 416, et 417.) Guidonis nobilitas probatur ex ejus conjunctione cum Heselina domina de Mulleio, Holdoini filia, qui Holdoinus, Gaufridus Jonæ-villæ dominum habuit fratrem. Hæc de linea paterna.

10. « Ad maternam, inquit, quod attinet, Bernardi mater Aleth seu Alaysia, quam tertiæ Vitæ scriptor unus Elizabeth, forte librarii errore, appellat, fuit filia Bernardi Montisbarri domini, etc., » quæ supra nos jam præmissimus, « ut ex Joanne Eremita quartæ Vitæ scriptore discimus. In Necrologio Divionensis monasterii S. Benigni, ubi primum sepulta fuit, simpliciter laica dicitur, efferturque hoc modo ejus me-

moriam: *Kalendis Septembris obiit Alysa laica*: quo nomine distingui solent in illo Necrologio etiam illustres personæ a sanctimonialibus. In hunc diem incidit festum S. Ambrosii seu Ambrosiani confessoris, teste Joanne Eremita, apud Fontanas celebrari solitum: quem nonnulli cum S. Ambrosio Mediolanensi antistite perperam hic confundunt, (*Pluribus ista narrat Chiffletius sectione 6*). Rainardus Montisbarri dominus, Bernardi avunculus, et Alaysiæ germanus fuit. Tam illustre enim fuerit ex utroque parente Bernardi genus, non mirum si Guido, ejus primogenitus frater vir Magnus a Guillelmo appellatur in cap. 3; uxor ejus *nobilis juvenula*; soror vero ejus *Humbelina adolescentula nobilis, quæ cum comitatu superbo et apparatu incedebat*, ex cap. 6. Hæc ex Chiffletio. Quibus adde Galdricum, Bernardi avunculum, a Guillelmo vocari num. 10, *potentem in seculo*, etc. (ut ante dictum a nobis est). Et Josbertus de *Firmitate*, quæ super albam sita est, *vir nobilis et secundum carnem Bernardi propinquus erat*; ex eodem Guillelmo num. 43. Denique *Rainerius miles erat frater Godefridi*, ex priore Claræ-Valleusis episcopi Lingonensis, qui Bernardum consanguinitate attingebat.

11. « Porro Chiffletius probat, S. Bernardi paternum genus, quod a *Fontanis* appellationem habet, per Bartholomæum Sombertonensem (quæ familia in veterum Burgundiæ ducum regum sanguinem emubentis filia heredis affinitate transfusa est) ad nostra usque tempora propagatum fuisse. (Adi Chiffletium sectione 7, pag. 418.) Cætera, quæ de illustri Bernardi genere apud eundem Chiffletium vel minus certa, vel minus necessaria videntur consulto præterimus; hoc tantum addito, monasterii Clarævalleusis stemma, quod in scuto nigro balteum auri sive argenti, minii ductu gemino tessellatum præfert, non esse derivatum (ut quidam volunt) a S. Bernardi insigni gentilitio, sed a Campaniæ Ducum familia, ex quibus Hugo Claram-Vallem fundavit; senas vero fascias ex auro et cyano detrorsus obliquatas in margine purpureo, quod Cisterciensis ordinis symbolum est, petiit a Burgundiæ ducum familia, quorum maxime beneficiis et auctoritate ordo Cisterciensis fundatus est: » de qua re Chiffletius sectione 1.

12. Audiendi itaque, non sunt scriptores, quos ibidem Chiffletius enumerat: « Barnabas de Montalvo, Mariana lib. x Historiæ Hispaniæ cap. 12, Bonifacius Simonetta lib. i Historiæ suæ, et alii nonnulli e recentioribus, qui ortum sanctum volunt ex ea Ducum Burgundiæ gente, cui caput fuit rex Francorum Robertus; adeoque non Galliæ tantum, sed et Hispaniæ et Lusitaniæ regum consanguineum prædicant, quo Bernardo, uti addit Chiffletius ex Manrico, quem et nos supra citavimus, « cunctos Christianos principes arcto sanguinis fodere devinciant. — Id vero probare se putant ex ordinis Cisterciensis antiquis insignibus, » sed perperam sicut mox indicatum est. Hinc Tamayus, toties in nostro Opere castigatus.

castigari hic deo meretur, quando in suo Martyrologio Hispano ad diem 20 Augusti in notis, primam « S. Bernardi causam cultus in Hispania assignat, quia fuit sanguine conjunctissimus Alphonso, cognomento Imperatori, Castellæ regi, » ex Alphonso Sanctio, quem citat. Verum hæc satis et abunde dicta sunt de illustrissimo genere, e quo S. Bernardus originem traxit. Nec vero paternæ ac maternæ duntaxat familiæ splendor, sed etiam magna vitæ integritas, et vera erga Deum pietas, quæ in utroque Sancti parente emicuit, non exigua ei laudem decora conciliant, ut jam visuri sumus.

§ II *Parentes, fratres, soror, vaticinium, educatio, studia.*

13. Manricus hæc refert in rem nostram ad dictum annum 1105 num. 5: « Claros parentes secundum dignitatem sæculi, virtus et pietas fecerant clariores; sive quod hæc rariores in nobilibus, eoque pretiosiores, si inveniantur: sive quod superfluum abstinentia, utilium abundantia cumulata, non sibi solis, sed aliis sufficientes, claritudinem munificentia comparaverant. Mater præcipue in pauperes benefica, atque operibus misericordiæ incessanter insistens, non solum clara, sed chara omnibus erat. Matrimonium auxere septem filii, [magis] Cisterciensi familiæ, quam suæ nati, Guido, Gerardus, Bernardus (nam tertius ordine), Andreas, Bartholomæus, Nivardus, et Humbelina: sex viri, omnes monachi futuri; femina una, eaque sanctimonialis. » Vide de illis adnotata apud nos ad libri primi Vitæ S. Bernardi caput 2. Felicissimis tam numerosa pariter ac pia prole parentibus apponere hic juvat elogium, quibus a scriptoribus Vitæ doctoris melliflui celebrantur. De Tescelino, ipsius patre, in secunda Vita, auctore seu compilatore Alano, cap. 1, apud Mabillonium, col. 1235, dicitur *vir antiquæ et legitimæ militiæ...., cultor Dei, justitiæ tenax.* Ibidem col. 1275 inter Fragmenta Gaufridi, de quibus supra, laudatur, quod esset « suavis moribus, amator pauperum maximus, summus pietatis cultor, et incredibilem habens justitiæ zelum... Ad hæc: Nunquam armis usus est, nisi aut pro defensione terræ propriæ, aut cum domino suo, duce scilicet Burgundiæ, cui plurimum familiaris et intimus erat: nec aliquando fuit cum eo in bello, quin victoria ei proveniret. »

14. Vir idem summo, quo fervebat, justitiæ studio adjunxit singularem clementiam, teste Joanne Eremita apud eundem Mabillonium, col. 1282. Nam « cum quodam tempore vir memoratus.... cum quodam sibi adversante, multo inferiori genere, et substantiæ minoris, monomachia firmaverat decertare; adest statuta dies, et præfixa certamini. Conveniunt utrinque. Recordatus autem vir venerabilis Tescelinus timoris Dei, et judiciorum divinatorum...., quamvis fortior et potentior esset, et hostem superare, et de victoria lucrum maximum reportare valeret, ultro tamen se pacavit cum adversario; quidquid erat in controversia, sine disceptatione resignans et relin-

PATROL. CLXXXV.

quens. O magna pietas, magna viri clementia! » Multis illum justitiæ Christianæ officiis conspicuum fuisse, eruitur e brevi illo, sed nervoso elogio, quod præmissi ante num. 4: Facultatibus suis ad omne opus bonum abundabat. Quid deinde? Monitis S. Bernardi sæculo nuntium remisit, et obiit cum odore sanctitatis.

15. Porro Guillelmus libro i Vitæ sancti nostri cap. 1, num. 1, de illius matre sic memorat: « Mater Aleth ex castro, cui nomen Monsbarrus, et ipsa in ordine suo Apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat operibus misericordiæ insistens, filios entriens in omni disciplina... Cum autem crevisset, quandiu sub manu ejus erant, eremo magis quam curiæ nutrebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus et communibus pascens. » Inter Fragmenta Gaufridi, col. 1375, insignis hæc mulier dicitur « digna tanto genere, et tanto viro, imo et gloria utriusque... Elizabeth filium hunc, divino edocta oraculo, tenerius omnibus dilexit: unde et patris sui ei nomen imposuit, Bernardum eum vocans. » Joannes Eremita a col. 1282. « Venerabilis, ait, Alays... consueverat inter cætera virtutum insignia, circuire domos, exquirere pauperes infirmos et egenos, eisque de suo proprio erogare, quod necessarium erat. Claudorum etiam atque debiliū maximam habebat curam; non servis, non aliis utens ministris ad hæc officia peragenda, sed per semetipsam hoc agens, ad eorum habitacula veniebat, et unicuique quod opus erat præbens, per ecclesiarum xenodochia devotissime discretis infirmis ministrabat, ollas eorum extergens, cibos porrigens, calices diluens, et alia cuncta faciens, quæ servis et ministris mos est serviliter operari. Quid plura? Volumus omnes virtutes ejus narrare? Minime, quia nobis non crederetur. Unum tamen relatu dignissimum proferemus in medium, rem videlicet plenam miraculo, nec sine admiratione a nobis auditam, referente quodam abbate religiosissimo, nomine Roberto, qui magis quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo regularis disciplinæ vixit: nepos siquidem ejusdem matronæ, de qua volumus pertractare; filius autem sororis suæ; ad quem etiam beatus Bernardus primam epistolarum suarum dirigit. »

16. Summa rei, pluribus in prædicta Vita relatæ, in eo posita est, quod integerrima illa femina obitum suum prænuntiavit, et religiosissime supremis Ecclesiæ subsidiis ad eundem comparata, « in manus Domini commendans spiritum suum, elevata manu signans se signaculo sanctæ crucis, in pace reddiderit spiritum... In hunc modum sancta illa anima de templo sancti corporis egressa, manus, sicut erat erecta ad indicandum signum crucis, videntibus et admirantibus cunctis qui aderant, sic remansit. O feminam igne divini amoris incensam, fide robustam, spe patientissimam, charitate devotam! » Sed nunc vela contrahamus. De ingenti concursu in felice ejus

obitu; corpore a monachis S. Benigni petito ac impetrato, nec non ibidem honorifice deposito; de apparitione item filiis facta, translatione in Claram-Vallem, et anno mortis tractat illustrissimus Manricus ad annum 1105, num. 8 et sequentibus. Documenta quoque de ejusdem vita et obitu, atque epitaphium inserta sunt probationibus diatribæ Chiffletianæ a pag. 431. Eam memorari cum titulo Beatæ in Menologiis Chrysostomi Henriquez, Bucellini et Chalemoti, indicavimus jam pridem in prætermissis ad diem 4 Aprilis, tomo I ejusdem mensis, pag. 320: de qua item in libro sepulcrorum Clarævallis ista legi diximus: « Item ibidem jacet piæ recordationis nobilis domina et Deo devotissima Aleydis, mater doctoris egregii, et patris nostri B. Bernardi, primi Clarævallis abbatis. » Mortem ejus ex Manrico affiximus anno 1105, ut videsis apud nos in Annotatis ad Vitæ S. Bernardi caput 1. Nos interim Beatæ titulum piissimæ illi mulieri tribuere non audemus, donec nobis aliunde constiterit e certis documentis, publico ac legitimo cultu eam fuisse honoratam. Habes, lector, quæ hoc loco memoranda censuimus de Sancti parentibus.

17. Ex hac itaque fortunatissima conjugii radice prodire septem illi flosculi formosissimi, de quibus paulo ante dicebamus. Progredi nunc placet ad S. Bernardi ortum, educationem, rarasque tum divinorum charismatum, tum alias indolis atque ingenii dotes, quibus vel ab ineunte ætate ita emicuit, ut majoribus deinde a se gerendis rebus non obscure præludere videretur. Ac primo quidem illud Vir magnus habuit cum aliis viris magnis commune, quod signa præcesserint ortum ejus. Matri quippe prægnanti visus in somnis catulus pulcher candidus; sed in dorso subrufus, et vel in ipso etiam utero non conticescens. Rem defert ad virum quemdam religiosum. « Continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quod David de sanctis prædicatoribus Domino dicit, Lingua canum tuorum ex inimicis, trepidanti et anxie respondit: Ne timeas, bene res agitur: optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, et tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis, in multis multos morbos curaturus est animarum, » teste Guillelmo in Vita, cap. 1.

18. Audiatur etiam Gaufridus, abbas Claræ-Valleensis IV, sermone in anniversario obitus S. Bernardi apud Mabillonium, col. 1309 et sequentibus, qui sermo habitus anno 1163, ut colligitur ab ipso ex num. 5. In isto itaque sermone, num. 13, hæc sunt de eodem Sancto: « Cum... alios in pueritia, alios in juventute, alios in senectute vocaverit; nonnullos tamen, sed paucos, velut quodam privilegio gratiæ specialis in benedictione præveniens, imo præripiens, necdum natos, quales essent, quibus voluit signis et indicis declaravit. Sic electi sui et prædilecti hanc venerabilem matrem, adhuc felicissimo onere gravidam, insolita visione perterruit: sed interpre-

tatione ejusdem consolatus est visionis... Sic nimirum Bernardus noster ex quo cœpit utcumque vivere, cœpit mirabilis apparere: necdum parturiebatur, et jam prædicabatur, vel magis jam ipse prædicabat: et nec lactens quidem adhuc erat, jam tamen laudans Dominum apparebat. Nec immerito sic commendatur antequam natus est: non immerito, inquam, divino magnificabatur oraculo, dum adhuc materno parvulus gestaretur in utero. »

19. Hinc Burchardus abbas Balernensis in Subscriptione, quam libro I Vitæ, Guillelmo ejusdem scriptore defuncto, apposuit, « Qui, ait, et in utero matris significationem [al. sanctificationem] visus est accepisse, de qua concepta sunt præsentia futuræ sanctitatis illius vitæ pariter et doctrinæ. » At vero mater ejus tali præsentia læta, et jam tum prægustans gaudia sibi obventura ex hujusmodi filio, « in amorem nondum nati, » ut dicit Guillelmus cap. 1, « tota transfunditur, cogitans sacris eum literis erudiendum tradere » (quantumvis alii pro more patriæ, uti cogitare licet, ad militiam designarentur) et obnixè agere, quidquid eo conducere posset, « secundum modum visionis et interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebantur, » prout adjungit idem auctor, quod et factum est.

20. Interea temporis, « Enixæ Alcidi, » sicut memorat illustrissimus Manricus num. 7, « in more semper fuerat, recens natos infantes offerre Deo, oblatos proprio lacte nutriendos reassumere, sive quod mater integra existens (nam quæ non lactant, dimidiare videntur officia matris) plus sibi juris in oblatos vindicaret, adeoque etiam plus in illis Deo offerret; sive quod ipsa oblatio, utroque illo materno clausa munere, innata potius quam adventitia omnibus esset: quam causam paulo aliter designant Guillelmus » (Guillelmum posthac in textibus e Maurico afferendis nos illum vocabimus) « Alanusque, dum ita scribunt lib. I cap. I: Quali [leg. Quasi] cum lacte materno materni quodammodo bonis eis naturam infunderet, in Bernardo speciale aliquid lego. Nam primo quod ad oblationem attinet. *Mox ut illum felici partu ediderat, non modo obtulit [eum] Deo, sicut de aliis agere consueverat; sed sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis quæ petitum a Domino, et acceptum filium, in tabernaculo ejus dedicavit [al. destinavit] perpetuo servitutum; sic et ipsa [eum] in Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus »* ex duobus biographis modo citatis. « Præsentatus in templo Bernardus est, ut vel sic ab exordio vitæ inciperet Virginis Matris filius apparere. Deinde quod attinet ad lac, Burchardus addit, non unquam aliud sugere voluisse. *Nam, ut referunt de illo, nunquam suxit ubera nutritricis, nisi solius matris.* Quippe jam tunc votorum illius socius antequam conscius, necdum jussus per omnia obtemperabat, cooperarius maternæ pietatis atque oblationis ab ea semel conceptæ, ipse non tantum hostia, sed consacerdos. » Ita Manricus, qui verba Subscriptionis Burchardi, « Nam ut refe-

runt de illo, nunquam suxit, etc., » (vide Surium hac die xx Augusti post librum primum Vitæ; de hac enim re nihil lego in Subscriptione Burchardi a nobis edenda), satis oratorie amplificat. Reliqua, quæ ad lactentis tempus pertinent, idem Burchardus apud Surium prosequitur his verbis: « De matris utero exierunt cum illo indicia bonitatis, facies gratiosa, vultus placibilis, oculi columbini. Quid fuit illi ad indicium bonitatis ex dono naturæ, per donum gratiæ transiit in virtutem. Infans, nondum fans lingua, fari videbatur gratia jam accepta. »

21. Verum de eximiis naturæ ac gratiæ prærogativis nonnulla singillatim his addenda veniunt ex Guillelmo et Alano, cap. 1. Ac de litterarum quidem studio ingenii præstantia hæc narrant: « Quam citius potuit » pueri mater, » in ecclesia Castellionis (quæ postmodum ipsius Bernardi opera a sæculari conversatione in ordinem regularium Canonicorum promotæ cognoscitur) magistris litterarum tradens erudiendum, egit quidquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem et gratia plenus et ingenio naturali pollens, cito in hoc desiderium matris implevit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem, et præ coætaneis suis proficiebat. » Nec mirum, cum præter ingenii vim, qua valebat, declinaret sedulo alia ineuntis ætatis diverticula quæ mentem longe alio distrahunt. « Erat namque simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mire cogitativus... foris rarus. » His adde nostrum apographum e ms. Aureævallis, submisso a R. P. Alexandro Witheim, collegii societatis Jesu Luxemburgensis rectore, in quo apographo leguntur ista: « Fuit autem puer in his, quæ ad litteras pertinebant, perspicacissimi ingenii, facilius discens quæcumque a magistris tradebantur, super omnes coætaneos suos. »

22. Subscriptio autem Burchardi apud Surium ita habet: « Avulsus a lacte, et transiens jam in puerum, jam aliquid maturum prætendebat, puerilia jura transcendens, » Nec vero studiis duntaxat illis, quibus puerillis ætas ad humanitatem informari solet, sese excoluit; « sed litterarum etiam studio fuit deditus, per quas in Scripturis Deum discebat, et cognoscebat, ex Guillelmo et Alano, cap. 1. Hinc videas, inquit Manricus ad annum Christi 1105, cap. 2, num. 6 et 7, « quod de ipso dici solet, theologiam infusam a Deo fuisse sortitum; quodque ipse etiam dicere solebat, se inter fagos et quercus didicisse; ad incrementa potius referendum, quam ad initia, atque ad superiorem rerum contemplationem, certioreque quam in scholis haberetur. Alias rudimentis theologiæ imbutus fuit, rudibus sane pro qualitate illius temporis; sed imbutus tamen, atque in sacra Scriptura versatus non medioeriter. »

23. Poesi eum etiam operam navasse vult Manricus, ibidem num. 7 et 8 hæc memorans: « Non me latet, scriptum de illo quondam, a primis fere rudimentis adolescentiæ suæ exercuisse poesim,

editis versibus vernaculo sermone, qui longe et late vulgati per totam Galliam, neque post multos annos exoleverant: tum etiam fratres, alias sibi charissimos, nedum cæteros studiorum commilitones, rhythmico certamine, acutæque inventionis experimentis non solum exercuisse, sed superasse. Quæ tamen, ut nullius fidei digna quippe ab auctore damnato (Berengario Abælardi discipulo in Apologia contra beatum Bernardum excusa Parisiis anno 1616; quam tamen hoc anno 1632 sacrum Inquisitionis tribunal in Hispania penitus censuit abolendam, » uti idem Manricus ad marginem notat) « et tunc furenti, per convicium objecta, ita vera fortasse esse potuerunt. Certe Bernardi rhythmicæ orationes ad singula Salvatoris patientis membra, ad Christum Dominum, et ejus matrem Virginem, et id genus aliæ, lumen ingenii pandunt. Legitur hodieque libellus ejus, cui nomen Floretus, heroico, neque ineleganti carmine conscriptus, in quo de virtutibus, virtutibusque, de sacramentis, deque cunctis mysteriis nostræ fidei luculenter exacteque pertractat.

24. « Nec suppositus partus, ut apparet; quippe a Joanne Gersone, antiquo et gravi theologo, non solum ut Bernardi opus admissum vulgatumque, sed commento illustratum satis prolixo, quod Lugduni in folio apud Joannem Marion anno 1720, sed et alibi etiam excusum lector inveniet. Ergo Bernardus poesim satis coluit, exercuitque in materiis sacratioribus. Nec multum fuit, si, mutata olim materia, et loco et tempori indulgens et ætati, aliquam ejus speciem præ se tulerit. » Ita censet Manricus. Verum huic rei arbitrum me non interpono, tum quia in atiquissimis biographis nihil de ea lego, tum quia sive ea sic se habeat, sive aliter, nihil magnopere confert ad laudem sancti doctoris, qui aliis tot lucubrationibus eam obtinuit gloriam, ut ex hujusmodi poeticis scripturæ illa quæri minime debeat. Præterea consuli potest Admonitio Mabillonii in versus et rhythmos, S. Bernardo adscriptos, quæ Admonitio habetur volumine secundo col. 891; in qua refert se non existimare, versus et rhythmos, quos subdit, Bernardo esse tribuendos. At de viri sancti scriptis inferius etiam agemus, quantum fuerit satis pro nostro instituto.

§ III. *Cælestes in sanctum favores; propositum monastici instituti; superata contra illud obstacula; socii ad idem aggregati; mirabile in humana corda dominium; vita ante ingressum ad Cistercienses.*

25. Præter ingenii ac litterarum ornamenta, quibus Sanctus supra quam fert puerilis ætas emicabat, mores egregios, ac peculiare in eo divinæ gratiæ favores suscipere merito debemus. Audiatur itaque Guillelmus in Vitæ ejus apud nos cap. 1, num. 5: « In rebus sæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat parentibus obediens et subditus; omnibus benignus et gratus. et ultra, quam credi posset, verecundus; nusquam multum loqui amans. Deo devotus, ut puram sibi pueritiam suam conservaret. » Hanc in-